

ELENCHVS IVDÆORVM III.

DE

OFFICIO MESSIÆ
PROPHETICO ET REGIO;

Institutus

à

CHRISTOPHORO
HELVICO,

SACRARUM LITERARUM, ITEM-
QUE LINGUÆ HEBRÆÆ IN ACAD-
emia Gieffena Professore.

Quem sub ejusdem Præsidio defendendum suscipiet

M. HENRICUS HIRTZ WIGIUS HAI-
NENSIS.

Auspicio

IesV Christi DoMini nostri.



GIESSÆ,

Imprimebat CASPARUS CHEMLINUS.

ANNO M. DCXI.

PER QUAM REVERENDO ET CLA-
rissimo,

Dn. BALTHASARI MENTZERO, SS.
Theol. Doctori & Professori, Dn. Praeceptor
& fautori suo medullitus colendo,

N Omini MENTZERE tuo dicatum
Prodeo HELVICI folia: an Sibyllas
Certius quicquam potuisse fari

Dixero? nolim.

Tu meo porrecta, capeffe, versu,
Eruditorumq; vel adde chartis
Illa (sed tantilla) sed additurum

Dixero? malim.

An minas, brutum scioliq; fulmen;
An (quod est curta ingenii supellex)
Pulveris sacri lituos timendum

Dixero? neutrum.

An tuos in curriculum hoc favores;
An superjecta reditus palastra
Anteversuros stimulum Theonis

Dixero? utramq;

Per malos noli m fugitare campum,
Per bonos malim tolerare: neutrum
Sat juvat, quisquis juvat arbitrorum

Agmen utrumq;

M. Henricus Hirtznigius R.

XIII. Januax. M. DC XI.

ELENCHVS IVDÆORVM III.

DE OFFICIO MESSIÆ

Prophético & Regio.



UPERIORIBUS Elenchis ostendimus, quòd Messias in Prophetis promissus pridem exhibitus fuerit; Tum quis ille sit, & cuius naturæ: nempe Jesus Nazarenus, verus homo & simul verus Deus. Nunc proximum est, ut ejusdem officium consideremus. In quo non minùs quàm in Personâ Judæi errant, & quidem gravissimè. Errores istos, quòd luculentiùs conspici & distinctiùs tractari possint, conferemus ad triplex officium Messia, *Propheticum, Regium, Sacerdotale.*

I. De Officio Prophético.

I.

OFFICIUM Christi Propheticum in eo consistit, ut doctrinam Evangelii de voluntate Patris coelestis erga genus humanum, & via ad salutem æternam per ipsum consequendam revelet. Ac potest tribus his capitibus comprehendi. 1. Explicatione vera Legis. 2. prædicatione Evangelii. 3. institutione Sacramentorum novorum.

2. Circa hæc Judæi non uno modo errant. 1. Quòd Messiam negant quicquam aliud præter legem Mosaicam promulgaturum: & nihil novi allaturum prorsus, quantum ad doctrinam, neq. alia Sacramenta instituturum, somniant. 2. Quòd Le-

gus doctrinam suis Pharisaicis traditionibus & commentis super-
stitiosis in immensum obruerunt & contaminarunt. 3. Quod tra-
ditiones illas & commenta Rabbiorum pluri faciunt, quam ipsam
legem & scripturam sacram.

DE PRIMO.

3. **V**erum quantum ad primum attinet, poterant vel
ex ipso Mose discere, quod Messias præter doctrinā
legalem aliud quiddam nomine Dei promulgaturus esset,
quod Mosaica lege non comprehenderetur. Id enim diser-
tè Moses prædixerat, non solum suis, sed ipsius Jehovæ et-
jā verbis ea de re repetitis. Sic enim inquit Deut. 18. v. 15.
*Prophetam è medio tui de fratribus tuis, sicut me, excitabit tibi Je-
hova Deus tuus, illum audietis. vers. 18. Prophetam suscitabo
(inquit Jehova) de medio fratrum eorum sicut te, & dabo verba
mea in ore ejus, & loquetur ad eos omnia, quæ præcepero ei, & erit
ut quicumq; non audierit verba mea, quæ loquetur nomine meo, ego
requisitus sim ab eo.*

4. Loqui hinc Mosen & Jehovam non de vulgari Pro-
pheta, duo evincunt. I. Quia debuit esse sicut Moses. Jam
Mosi nullus è vulgaribus Prophetis æqualis fuit, aut ejus
dignitatē & excellentiam assecutus est, Deut. 34. v. 10. Num.
12. v. 6. Atque hoc confirmatur ipsorummet Judæorum an-
tiquis traditionibus, quæ perhibent Messiam futurum si-
cut Mosen. Et quidem sicut Moses inequitavit asino, Exod.
4. ita Messiam inequitaturum asino, Zach. 9. Sicut Moses
fecit exire aquas de petra, ita Messiam fontem aperturum,
Joel. 3. Sicut Moses panem de cœlo descendere fecit, Ex. 16.
ita Messiam panem de cœlo allaturum, juxta Psal. 72. v. 16.
quemadmodum legere est in *Midras Coheleth. pag. 88.* Quæ
non malè ad Christum applicantur.

5. II. Quia ceteri Prophetæ omnes idem, quod
Moses, docuerunt, eandem legem, judicia, statuta, incul-
cârunt.

cârunt. De hoc verò Propheta, Jehova inquit, *Primò*, se verbum suum in ipsius ore positurum, *Secundò*, ipsum Jehovah nomine ad Israelitas locuturum esse, *Tertiò*, se requisitum ab eo, qui non illum audiverit. *Deniq;* ipse Moses à se ablegat Israelitas ad illum Prophetam audiendum, *Ipsum*, inquit, *audietis*. Unde patet, aliud esse verbum, quod Deus in ejus ore positurus, & quod ille Propheta promulgaturus, & quod requirendum sit à contemptoribus, & ad quod Moses Israelitas à se ablegat; quàm verbum legis. Illud enim ante 40. annos jam pridem promulgatum erat solenniter, & à Mose maxima cum severitate comminationum & dirarum Israelitis mandatum, inculcatum & repetitum, *Exod. 20. Deut. 5. Deut. 27. v. ult. & alibi passim*. Idem factitatum est ab omnibus Prophetis sequentibus usque ad Malachiam, quem Prophetarum ultimum, tradunt Fasti Hebræorum.

6. Luculentiùs hoc confirmatur ex occasione hujus promissionis. Cùm enim vox Legis intolerabilis esset Israelitis, atq; idèò mediatorem pererèt, approbavit Jehova istam petitionem, confirmans esse vocem legis ipsis intolerabilem, & propterea promissit Mediatorem, eumq; alium, quàm Mosen. Oppositio igitur hic instituitur inter Decalogum, & illam doctrinam, quam promissus novus Propheta nomine Dei promulgaturus esset. Itaque quin Propheta hic promissus καὶ ἐξοχλῶ sit ipse Messias, qui novā Evangelii doctrinam prædicaturus fuerit, dubitari non debet. Neque hoc dubium fuit apud priscos Judæos, ut satis perspicuum est ex Actor. 3. v. 22.

7. Quando igitur Judæi nihil aliud crepant, quàm Legem Mosis, Legem Mosis, & agnoscere nolunt aliud doctrinæ genus præter legale, alioque scripturæ divinæ libros præter Mosen & Prophetas, produnt eo ipso suam in Mose

& Prophetis imperitiā. Moſes n. ſuū magiſterium & vobis eſſe
expreſſè reſignat & novo Prophete venturo tradit. Prophete
v. & ipſi ſatis dilucidè oſtendūt, q̄ longè alius docendi mo-
dus aliq; doctrina à Meſſia expectanda ſit, quàm haſtenus à
Moſe in Lege tradita fuerat, eandem ipſimet pulcherrimis
encomiis exornant, commendant, & modò myſticis ſeu
allegoricis, modò apertis verbis, deſcribunt.

8. Nam ita inter cæteros *Eſaias cap. 2.* inquit: *Ex Zi-
on exibit Lex, & verbum Iehovæ de Ieruſalem, ſc. in diebus Meſ-
ſiæ, de quibus hoc loco agitur. Quæ verba ex eo repetit Mi-
cha (niſi contra Eſaiam à Micha malis.) cap. 4. v. 2.* Et addi-
tur, *omnes gentes ad huius legis promulgationem admiſſum iri.*

9. Hæc non poſſunt intelligi de Lege Moſaica, quip-
pe cum illa è monte Sina data ſit, non è monte Sion & Je-
ruſalem, neque omnibus gentibus ſolenniter promulga-
ta ſit, ſed ſolis Judæis. Quare neceſſariò de nova lege ſeu
nova doctrina intelligenda ſunt, quam non è Sina, veluti
de Moſaica factum, ſed è Sion, neq; ſolis Judæis, ſed omni-
bus gentibus per univerſum terrarum orbem, promulga-
turus erat Meſſias.

10. Illa verò nova doctrina nihil eſt aliud, quàm do-
ctrina Evangelii, ſicut idem Propheta *Eſaias cap. 52. v. 7.* te-
ſtatur: *Quàm ſpecioſi, inquit, ſunt ſuper montes pedes Evange-
liſantis, annunciantis pacem, evangeliſantis bonum, annuncii-
antis ſalutem, dicentis Sioni, Regnat Deus tuus. Quæ ſc. quæ
reperita legitur Nahum 1. v. 15.* Agi autem his duobus locis
de prædicatione nova inſtituenda à Meſſia, locuples nobis
teſtis eſt Paulus, *Rom. 10. v. 15.* & à priſcis quoque Hebræis de
Meſſia id exponitur, ut videre eſt in *Midraſch Schir haſchirim*
ſuper Cant. 2. v. 12. Vox turturis audita eſt in terra noſtra.

11. Hæc doctrina appellatur Evangelium pacis, præ-
dicatio pacis: quia annunciat reconciliationem hominum

pecca-

peccatorum cum Deo & inde promanantem tranquillitatem conscientiae, & fiduciam paterni in Deo erga nos amoris. Talem verò lex præstare non potest, cum obedientiam perfectam postulet, *Deut. 5. v. 5.* omnesque maledictioni subiciat, qui vel in minimo prævaricantur; *Deut. 27. v. 26.* Nemo autem hominum talem obedientiam præstare possit, *Prov. 20. v. 9. Psal. 14. v. 4.* quia in peccatis concepti & nati sunt, *Psal. 51. v. 7.* Hinc subjacent maledictioni iræque divinæ, qui est consumens ignis, *Deut. 4. v. 24. & 9. v. 3.* Unde fieri non potest, ut conscientia in prædicatione legis acquiescat, sed terretur & torquetur iræ divinæ sensu, veluti passim in Psalmis videre est. Iraque omninò alia atque nova doctrina opus est, nempe Evangelii, cuius solennis promulgatio, Messiae reservata fuit.

12. Hinc *Esaiæ 61. v. 1. 2. 3. & seqq.* officium Messiae describitur, quòd afflictis prædicare Evangelium debeat, refocillare contritos corde, & mole maledictionis legalis pressos recreare, victos compedibus peccatorum & Sathanae liberare, & annū annunciare acceptationis: &c. Quæ sane de legali concione dici nullo modo possunt. Unde patet, præter illam legalem, à Messia expectandam fuisse aliam consolationem & gratuitæ redemptionis munere plenissimam. Idem innuitur etiam à *Zacharia cap. 9. v. 10.* Neque dubium est, hæc de Messia dici, fatente *R. Salomone* itemque priscis Hebræis, allegante *R. Abraham Aben Ezra in peruschim*. Quod verò non de corporali & externa liberatione aut vinculis ista intelligenda sunt, ostendetur plenius in descriptione Sacerdotalis officii.

13. Eadem benignitas & Messiae *Φιλανθρωπία* describitur *Es. 42. v. 2. 3.* *Arundinem collisam non confringet, & linum sumigans non extinguet, &c.* Non acerbus erit, neque truculentus, donec posuerit iudicium in terra, & insula ad legem (seu doctrinam)

ejus

ejus anhelabunt. Ubi rursus notandum venit, quòd dulcissima hæc lex, Messia lex vocatur, quippe quæ ab illa Mosaiica longè distet, comminationibus & execrationibus concepta, & intolerabilibus mandatis onerata.

14. Jam nec illud prætereundum, quod Psalmi 2. versus 7. in persona Messia inquit, *Narrabo de tali decreto, vel dogmate, quòd Iehova dixit ad me, Filius meus es tu, hodie genuite.* Psalmum hunc totum de Messia agere, superiori Elencho planum fecimus multis allegatis, quibus hic addimus insigne testimonium *Raf Sandia Gaon in Dan. 7. v. 13. ubi & Zach. 9. v. 9. & Psal. 2. v. 6. & Psal. 110. v. 1. de Messia exponit.* In eo Messias affirmat, se tale dogma propositurum, quòd ipse sit Dei filius. Id quod in doctrina Legis Mosaiica non reperitur. Itaque dogma hoc novum est, & discrimen manifestè constituit inter doctrinam Mosaicam & Messia.

15. Idem olim crediderunt prisci Hebræi, quòd doctrinam novam à Messia accepturi essent, quemadmodum patet ex Chaldaica Paraphrasi *Jonathan Ben Uzziel in Esaia 12. v. 3. Et haurietis aquas cum gaudio de fontibus Israelis &c.* Sic in *שְׂפָרָה*: *Et accipietis novam doctrinam (Ulphana Chadata) cum letitia ab electis justorum.* Per electos justorum non inconcinne intelliguntur Apostoli & Evangelistæ. Agi autem hoc loco de temporibus Messia, indubitarum est ex verbis præcedentibus, & ipsimet *Rabbini mepharechim* hoc agnoscunt.

16. Huc facit, quod in *Midrasch Koheleth* legitur super *Eccles. 2. v. 1. Quid est, quod dicitur, Ecce etiam istud vanitas!* *Rabbi Hiskia dicit: Quia omnis Lex, quam tu discis in seculo isto, est vanitas coram lege seculi venturi.* Et rursus luculentius super *cap. 11. v. 8. Omnis Torah, quam discit homo in seculo isto, & in qua delectatur, est vanitas in comparatione legis Messia. Quicquid enim præcessit, erit Habel, seu Vanitas.* Hæc

Midrasch.

Midrasch. Plura documenta suppeditabit sacerdotale Officium. De institutione Baptismi in specie, suprà in Elencho factum fuit.

17. Elegans est colligendi ratio, quâ Lutherus utitur contra Judæos, negantes plures esse Scripturæ Sacræ libros, quàm Hebraicos. Messias, inquit, exhibitus, quum tot & tam illustribus elogiis passim à Prophetis describatur, non erit mutus, aut claudus, sed & concionando & miracula edendo virtutem suam potenter exeret, ac regnum suum constituet, & quidem longè illustrius, quàm vel David, vel Salomon, vel ullus alius rex aut Propheta, ut ipsi met fatentur. Sic enim *Targum Hierosolymitanum* exponit Ecclesiast. i. versum 11. *Non erit memoria priorum seculorum, etiam posteriorum, quæ futura sunt, non erit eorum memoria aut comparatio cum iis, quæ fient in diebus regis Messia.* Hoc ampliùs exponit Midrasch: *Quot signa facta sunt filiis Israel, ex quo egressi sunt de Ægypto, & cum nondum egressi sunt de Ægypto? De ipsis ait, Non erit memoria priorum, quæ ante exitum, & posteriorum, quæ post exitum facta sunt. Non erit eorum memoria cum illis, quæ erunt in futuro seculo Messia, juxta dictum Ieremie (cap. 23. v. 7.) Non dicent ultra, vivit Iehova, qui eduxit filios Israel ex Ægypto. Eadem miracula Messia dicuntur esse Iccar, i.e. substantia, respectu miraculorum priorum, quæ dicuntur esse Taphla, i.e. minùs principale, accessoriù, & habere rationē accidentis, in lib. Berachoth. c. 1. Jam hæc omnia non poterunt oblivione sepeliri, sed annotabuntur in perpetuam rei memoriam, & institutionem posterorum: sicut olim Moses & reliqui Prophetæ suam doctrinam & res gestas conscripserunt. Hæc verò longè erunt sanctiora & præclariora, quàm omnium Prophetarum cæterorum acta & scripta, quantò scilicet Sanctus sanctorum (Sic Messias appellatur Dan. 9) & omnium Prophetarum princeps universis præstat.*

G

Patet

Patet igitur, Judæos carere adhuc præstantissima & sanctissima parte divinæ Scripturæ. Quam quidem nos habemus, cum suprâ probaverimus Messiam pridem exhibitum fuisse.

De contaminatione Legis per commenta Traditionum.

18. **C**ompedes Satanæ, quibus miseros homines Judæos in tenebris ignorantia & erroris detinet, sunt traditiones Pharisaicæ & Rabbinicæ, quarum immensa mole Legem Mosaicam penitus obruerunt. Earum compendium fecerunt in vasto opere Talmudico, neque tamē abstinere potuerūt, quin additione *Gemara* & *Tosephoth* tot volumina confarcinarent. Quibus inhærent adeo pertinaciter, ut pluris etiam quàm ipsam legem faciant, eique longè anteponant. Si hoc negare volent, convinci possunt ex ipso Talmud. Nam in *lib. Sanhedr. cap. Illu hen hannechenakin*, sic inquit: *Plus est momenti in verbis Scribarum, quàm in verbis Legis. Qui enim dicit, Non sunt Tephillin, transgrediens verba Legis, insons est: Qui verò dicit, quod quinque sunt Phylacteria, transgrediens verba scribarum, reus est.* Idem tradit & confirmat monitio Rabbinica: *Fili mi, da operam, ut cures verba scribarum plus quàm verba legis.* Hinc Rabbinus impudentissimè præcipiunt Judæis, ut suis præsidibus & scribis credant absolute in omnibus, omni ratione sepositâ, etiam si dicerent, dextram esse sinistram, & sinistram esse dextram; adeoque quicquid ipsi dextrum dixerint, id pro dextro habeant, & quicquid sinistrum, pro sinistro, atque illud approbare teneantur omnes Judæi: Sicut de ipsis testatur *Purchetus*, & ad verbum reperire est in *commentario Rabbi Salomonis super Deut. 17. vers. 11.* & in libro recentiore *Keli jakar fol. 126. edit. Pragensis.* Quia scilicet omnia verba eorum sunt verba Dei viventis, *lib. Sabbath. cap. 2. Ex* jam

jam vana, æquivalent S. Scripturæ verbis, *lib. Ialkut super Prov. 1.*

19. Hos detestandos errores vel furores potiùs, non est, ut pluribus refellamus, quum sufficiat indicasse. Nam, *non quod tibi rectum videtur in oculis tuis, facies*, Deut. 12. v. 8. *sed quod Deus precepit*, Deut. 10. v. 12. & 11 v. 32. *Omnia, quæ Ego* (inquit Jchova:) *vobis mando, illa observate ut faciatis, non addes ad illa, nec detrahes ab illis quicquam*, Deut. 12. v. ult. & 4. v. 2. Proverb. 30. v. 6. At verò quanta moles traditionum, additionum, detractionum, congesta est in tota sarragine *Talmudica*, itemque in *Rituale Minbagim*, *Orach Chajim*, *Machzor haschana*! Jam olim de his superstitionibus conquestus est Christus Matth. 15. v. 2. & seqq. & cap. 23. per totum ac nominatim de phylacteriis, v. 5. Quòd si quispiam ridiculas *aitologies* attendat, quibus singulos ritus & traditiones probant, satis mirari non poterit hujus populi cæcitatem & indurationem.

II. De Officiò Messia Regio.

I.

In officio Regio prorsus cæcutiunt Judæi. Somniant enim, Messiam fore regem terrenum, quialiorum Monarcharum more in terris regnaturus, omnes gentes debellaturus & Judæos in terram Canaan reducturus sit, ibique omnium rerum affluentia & abundantia beaturus, nominatim verò insigni quodam convivio excepturus, quod parandum sit de *Levijathan* pisce & *Behemoth* tauro, utroque miræ magnitudinis, (*Levijathan* enim causam esse terræ motus credunt, si vel paulum in mari se moverit:) & vino de *Gan Eden* seu paradiso, quod ibi reconditum serveretur à mundi initio, itemque fructibus paradisiacis ahisque deliciis,

licits. (*R. Elias* insuper addit *avem* miræ magnitudinis, quā appellari dicit *Bar Iuchne* in lib. *Thisbi*) Exacto verò longissimo vitæ spacio atque imperio, auri argentivoluptatumque abundantia splendidissimo, mortem obiturus, relictis successoribus regni in perpetuum. Vide *Targum Cant. 8. v. 2.* & passim *Aben Ezra* & *Raschi* in *Peruschim*.

2. Ipsos verò Judæos demorruos tunc resuscitatum iri putant, ut fiant hujus gaudii participes. Eo tamen discrimine, ut qui in *Erez Israel*, i.e. in terra Canaā mortui fuerint, absque dolore resurgant, qui verò alibi, necesse habeant magnis cruciatibus, per loca subterranea devolvi usque in terram Canaan. Ubi robusto vegetoque corpore absque senii molestia ad multa secula vitā producturi sint in summa voluptate, sensuri aëris benignitatem perpetuam, nec opus habituri agriculturæ laboribus. Terra enim sponte producet sata. Pluvias a. si quis optaverit, ex animi sententia vel solus pro suo prædio impetrabit. Nulla molestia aut noxa à bestiis & feris erit metuenda, sed omnia animalia, deposita feritate, mansuetissima erunt, & homini deservient. Ipsi verò possidebunt bona gentium, quæ ultrò venient & Judæos pensilibus curribus in *Erez Israel* deportabunt, omniaq; servitia præstabunt ad nutum. Summa, erit mera Utopia.

3. Quæ deliria & somnia prolixè descripta sunt in *Abeth Rochel*, i.e. lib. *specierum aromaticarum*, & non obscure depingunt Judæorum ingenium & affectum erga gentiles. Sed his omiſſis breviter nunc ostendemus 1. Regnum Messia non terreno & mundano modo administrandum fuisse, sicut regna cætera gentium, sed longè alio, spiritali & coelesti. 2. Judæos vanam spem sibi facere reditus in terram Canaan.

4. Atque hoc ex abundantia. Quandoquidem enim
suppe-

superiorib. Elenchis ostendimus, Jesum Nazarenū esse verum Messiam, verumque Deum, sponte sequitur, regnum ipsius, cū non mundano modo administretur, spirituale esse & cœleste, nec ad pristinam regni Israelitici formam redigi debere; adeoque ipsā experiētiā Judæorum somnium refutari. Ut tamen pateat, in Prophetis quoque huius rei documenta extare, aliquot loca considerabimus.

5. Primū itaque *Zachariæ caput. 9.* videamus: Ubi describitur Messias, quod sit Rex, & Ecclesiæ acclamatur, ut jubilet & exultet ob suum Regem. v. 9. *Iubila filia Zion & exulta valdè filia Ierusalem, quia ecce tuus rex tibi venit.* Idem tamen rex eodem loco dicitur esse *Pauper, (Ani:)* & equitans super asinam. Si pauper: Ergo splendor ille regni consistet in alia quadam re, quā divitiis & maiestate terrena.

6. Accedit huc totum *cap. 53. Esaiæ.* In quo Messiae ignominia, contemptus, dolores, verbera, plagæ, vulnera, contumeliosa mors & cruciatus ac sepultura prolixè describuntur. Hinc argumentum: Qui contumeliosè & ignominiosè tractandus, affligendus, contemnendus, vulnerandus, conterendus, cruciandus, è terra viventium excindendus, anima privandus, occidendus, inter latrones numerandus & sepeliendus est, is profectò non potest regnum instituire splendore mundano, maiestate, opibus, voluptatibus ac deliciis celebre. At Messias ita tractandus fuit. Ergo.

7. Singillatim verò huic somnio de regni splendore opponitur versus 2. & 3. Non erat ei splendor, neque gloria, seu maiestas, neque aspectus, quem concupiscere possemus, sed ita contemptus & vilis, ut faciem ab eo quisque averteret, repudiaret & averfaretur. Confer hoc cum Judæorum Messia, in immensa gloria & maiestate regnum suum in his terris administraturo, & videbis è diametro pu-

gnare Messiam Judaicum & Messiam Propheticum.

8. Illustrantur hæc è *Psalm. 22.* qui eodem prorsus modo extremam ignominiam & contemptum Messiae prolixis verbis vaticinatur: Adeoque non obscure designat genus mortis, crucifixionem, v. 17. 18. quæ omnia in Judaicum Messiam nullo certè modo competunt.

9. Sic vulnerationis modus exprimitur apud *Zach. cap. 12. v. 10.* Aspicient in me, quem transfixerunt. Quod de Messia priscos Doctores expo fuisse, testis est *R. Salomo Iarchi* & *Kimchi* in comment: ac liquidum, est ex lib. *succa* cap. *Hachalib*; ipseque *Abraham Aben: Ezra* sic exponit, Et nobis Christianis ex allegatione Novi Testamenti indubitatum est.

10. Contumeliosus etiam Messiae contemptus per æstimationem 30. argenteorum, à Zacharia prædicitur *cap. 11. v. 12. 13.* Quam de Messia intelligendam esse *Matthæus cap. 27.* nobis testatur, & verò Judæi negare non debent. Nā versum 12. in persona sua Messiam loqui, docet *Bereschith Rabba* super *Genes. 49. v. 11.* Quæ allegatio perspicuè redarguit cœcitatē & perversitatem recentiorum Judæorum.

11. Non minus clarè eodem Messiae vaticinatur *Daniel cap. 9. v. 26.* post. 62. septimanas occidetur Messias. Si occidetur, E. falsum est eum in terrestri majestate, gloria & tranquillitate aliquot secula regnatum & demum in pace obitum.

12. Præterea, hoc quoque evidenter Judæos coarguit, quod Messias Rex & Sacerdos æternus esse dicitur. *1. Paral. 17. v. 14.* *Psalm. 110. v. 4.* Quomodo. a. rex æternus, aut sacerdos æternus esse posset, si duntaxat per aliquot secula regnaturus, immò vix 70. vel 40 annos, juxta traditionem *Thalmudicam lib. Sanhed. cap. Col Israel*; postea verò more cæterorum hominum obiturus mortem & regnum successio.

cessoribus relicturus esset? Hæc esse *evadivata*, nemo est, qui non intelligat. Qui enim non amplius vivit, rex utique & sacerdos esse non potest. Itaq; relinquitur, Messiam non ea conditione, quâ alii sacerdotes & reges in his terris officio fungebantur, administraturum esse suum regnum & sacerdotium.

13. Porro neque illud omittendum contra perversam Judæorum opinionem, quod *Esaia 9. v. 3. 4.* de hujus regni administratione prædicatur. Disertè enim ibi oppositio instituitur inter victoriam à Messia obtinendam, & inter aliorum regum & principum prælia, quæ armorum strepitu & tumultibus bellicis, commaculatione sanguinolenta vestium, ferro & igne confici solent. At non ea ratione redemptio à Messia perficienda erat: sed sine omni apparatu bellico, sine corporali prælio, sine vulnere & sanguine suorum aut hostium, pacem impetraturus erat, & victoriam de hostibus reportaturus, regnumque æternum instituturus. Atque hanc oppositionem seu comparisonem dissimilium agnoscit *R. Salomo* super hunc locum, quem eodem modo exponit. Confer hoc cum fictitio Judæorum Messia, ingentia prælia confecturo, , cruentas victorias reportaturo & sanguinis copia inundaturo terras!

14. Huc facit, quod *Zach. 9. v. 10.* dicitur, temporibus Messia ablatum iri currus & equos & alia instrumenta bellica; & pax (Evangelii) à Christo gentibus prædicanda promittitur. Non igitur Messias gentes bello perdet, sed benignissimè ad se alliciet *Gen. 49. v. 10. Esaia 11. v. 10. & 65. v. 1. Mich. 4. v. 2. & c.* Item *Esaia. 11. v. 4.* Messias dicitur spiritu labiorum interfector impiis, & virga oris sui percussurus terram, non armis aut machinis bellicis. Quin armorum loco justitia erit, & fidelitas v. 5. Oppositio hæc clariùs exprimitur *Hof. 1. v. 7.* Non salvabo eos (inquit Jehova:) in arcu seu per arcum, & gladium & bellum, & equos

Et equos aut equites: sed in Iehova Deo ipsorum salvabo eos. Hinc argumentum: Salvatio seu redemptio, quam Messias præstabit, quàmque Prophetae describunt, non futura est per arcum, gladium, equites, & alios apparatus bellicos: Atqui salvatio, quam Judæi somniant, futura est per arcum, gladium, equites, & alios apparatus bellicos: E. salvatio, quam Judæi somniant, non est salvatio, quam Messias præstabit, quàmque Prophetae describunt videant igitur judæi, quoniam fundamentum habeant suæ spei de regno terrèno Messiae.

15. Adhuc docere Judæos & illud poterat, ne antiquum regni Israelitici statum sibi imaginarentur, quod *Ierusalem sine muro, seu instar villarum, habitanda* prædicitur temporibus Messiae, *Zach. 2. v. 4.* non quidem ratione munitionis, sed præ multitudinem inhabitantiū. Id quod de nulla civitate terrena dici potest: Siquidem nulla unquā urbs tam vasta fuit, quin muro circumdari potuerit. Confirmat hoc versus sequens quintus, *Ego, ait Dominus, ero murus ejus in circuitu.* Quæ verba liquidò ostendunt, agi hic de spiritali muro, civitate, regno.

16. Jam quod inani spe Judæi seipsos fallant, dum expectant reditum in terram Canaan solennem, & regni Judaici restitutionem, inde clarum est, quod disertè à Daniele negatur, Hierosolyma post captivitatem Babylonicam instaurata, cum iterum excisa fuerint, restitutum iri unquā. Sic enim *cap. 9. inquit, v. 26. Et civitatem & sanctuarium* (post captivitatem restitutum) *dissipabit populus ducis, & finis ejus cum desolatione erit, & usque ad finem belli decretum est desolatio. v. 27. Et erit apud alas abominationis desolatio, & decretum est quod, ad finem & consummationem perseverabit desolatio.* Vaticiniū hoc evidenter confirmat ipsa experientia. Siquidem anni 1540. à devastatione civitatis jam effluxerunt, neque ullum superest ejus in pristinum statum restituendæ vestigium.

17. Atque hoc idem cæcis hominibus pridem prædictum fuit luculenter in antiqua quadam Traditione, quæ ipsorum Fastis majoribus, (*Seder olam Rabba*) inserta est his verbis: *Scriptum legitur (Deut. 30 v. 5.) Et introducet te Iehova Deus tuus in terram, quam possederunt Patres tui, & possidebis eam. Poteritne fieri, ut sit tertia possessio? Respondendum est. Quia scribitur, quam possederunt Patres tui, & possidebis eam; prima quidem & secunda possessio vobis futura est, tertia verò nequaquam futura est.* Hactenus *Seder olam*. Quæ verba ad amulsum repetita leguntur in *Talmud. lib. Iebamoth*. Quod si igitur post secundam ejectionem nunquam possessuri sunt terram suam, ecquomodo ibidem poterunt instituire, regnum, politiam & sacerdotium? Facebant igitur crassa somnia Judæorum de restitutione mundani & opibus voluptatibusque affluentis regni, quæ ex inepto oraculorum prophetiæ intellectu conceperunt: Cum quidem inter ipsos Rabbinos nonnulli reperiantur, qui absurditate literalis sensus permoti, agnoverunt *derech maschal*, id est, per modum parabolæ seu allegoricè esse intelligenda, ut in *R. Moise Ægyptio*, quem *Rambam* vocant, videre est; Itæ *R. Abraham*, & *R. Kimchi* in *Esaiâ 11.* & *Raschi* sive *Iarchi* super *Esaiâ 2. v. 2.*

18. Porrò insignis Judæorum cæcitas hinc conspicitur, quod tempore adventus Messia credunt mortuos resuscitatum iri eâ conditione, ut qui extra terram Canaan mortui fuerint, ingenti dolore per subterranea loca volvantur, usque ad terram Canaan, ibique demum resurgant: Qui v. vivi degunt extra terram Canaan, illos ad secundum classici signum, quod Michael angelus dabit, ab omnibus gentibus, magno triumpho & jubilo, humeris & curribus pensilibus in *Ere Israel* deportatum iri (scilicet!) ibique omnes & vivos & resuscitados postquam aliquot secula in summa

H

lætitia

lætitia transegerint, denuo morituros. Vide *R. Salomo Iar-*
chi in Genesi. 47. v. 29. Targum Hierosolymitanum Cant. 8. v. 5. &
Abkath Rachel, &c.

19. Ubi tamen non satis sibi constant. Nam modò
negant, resurrectionem gentilibus obtingere, (ut videre est
in *Abraham Aben Ezra & R. Salomone, & R. David Kimchi su-*
per Es. 26. v. 14. item Aben Ezra, & R. David super Ps. 1. v. 5. ubi
docent animas impiorum una cum corporibus interire in
die mortis, sic & *Aben Ezra super Dan. 12.*) modò affirmant,
eos condemnatum iri, ut disertè de gentilibus scribit *Ra-*
schi super Ezech. 32. v. 18. ut videantur veluti Calviniano quo-
dam absoluto decreto (præciso omni medio salutis) nos
gentiles ad orcum destinasse & condemnasse. Ac propterea
ita benedicunt Christianis, si quos mortuos esse audiunt,
Nischmatho begebinnā, id est, *Anima ejus in inferno sit*. Quòd si
condemnabuntur, utiq; non solæ animæ condemnabun-
tur, sed animæ cum corporibus, cum utraq; peccaverint.
Id quod agnoverunt *Anshe Hammachkar*, sicut tradunt *A-*
ben Ezra & David Kimchi super Psal. 104. v. 30. Et posito prin-
cipio resurrectionis, resurrectionem ipsam negare non de-
bent. At principium resurrectionis, juxta judæos est officu-
lum in spina dorsi humani, quod nunquam putrescit, etsi
per multa annorum millia in terra jacerit: Inde enim fa-
bulantur Deum initium sumere resurrectionis. Jam illud
æquè est in gentilibus atque in Judæis.

20. Idem judicium de impiis Judæis, quibus negant
obtingere beneficium resurrectionis, quia indigni sint libe-
ratione & gaudio futuro in diebus Messæ, ut scriptum est
in lib. *Abkath Rachel*. Eodem modo in *Talmud lib. Sanhedrin*
de resurrectione ira differitur, ut tantū piorum & justorum
mentio fiat. Et claritùs lib. *Taanith* solis justis resurrectio
assignatur. Similiter apud *Rab Saadia Gaon super Dan. 12.*

Con-

Contra *Targum Hierosolymitanum Cantic. 8. v. 5.* implis spem facit resurrectionis, licet non omnibus, sed iis tantum, qui intra regionem Canaan obierunt: quasi terra Canaan singularem prerogativam vel sanctitatem præ cæteris obtineat, ut nullo nisi solius sepulturæ respectu habito, mortuos vitæ reddat. Rursum *R. Bechai in lib. Kad hakkémach* ait absque discrimine omnes Israelitas impios resurrekturos, sed in sui ignominiam æternam, Contra Talmud & huic & sibi alibi contradicens, tres classes Judæorum resurgentium constituit 1. Piorum 2. Impiorum, qui damnantur. 3. Mediorum, qui non nisi per purgatorium salvantur, *lib. Rosch haschana cap. 1.* Ex quibus apparet, Judæos nihil certi habere de resurrectione impiorum.

21. Verum, annon diserte Daniel affirmat, quosdam, qui resuscitati fuerint, in æternam ignominiam abjectum iri? Sanè ii sunt impii, sive gentiles sive Judæi. Si Judæi, falsum est, ideo Judæis negari beneficium resurrectionis, quia sint indigni gaudio futuro. Quinimo, quia indigni, ideo resuscitandi sunt, ut eò magis torqueantur, privati eo gaudio ob suam impietatem, quo alios perfrui conspicient. Si gentiles, nulla causa est, quin & ad Judæos impios resurrectio spectet. Cur enim soli gentiles ob peccata sua puniantur, dimissis impunè Judæis? Hoc discrimen nuspiam divina justitia in Scripturis cõstituit. Omnino verò absque discrimine omnes æternis pœnis subjici, qui in peccatis moriuntur, eadem justitia flagitat. *Exod. 32. v. 33. 2. Sam. 23. v. 6. Esa. 66. v. ult. Psal. 39. v. 15.* Utrique id, quod peccavit, punietur. Peccavit a. corpus & anima. E. corpus & anima punietur. Corpus igitur resuscitari necesse est, ut uniatur & puniatur cum anima, cum qua peccavit.

22. Ex quo simul refutatur alterum delirium Pythagoricum nonnullorum Rabbiorum, quod animæ subinde in

de in alia corpora migrent, quam appellant *Gilgul nephaschothi* i.e. volutionem animarum, vide *R. Eliam in Tisbir ad. Gilgul*. Cujus absurditatis, sanæ mentis homines meritò pudere debebat.

23. Porro locus hic erat differendi de vocatione gentium universali ad regnum Christi. Verùm quia de hac re Elench. i. actum fuit, jam prætermittimus longiorem disceptationem.

F I N I S.





the scale towards document

490

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

10
Cantic. 8. v. 5. implis spem
nibus, sed iis tantum, qui
quasi terra Canaan sin-
tatem præ cæteris obtine-
respectu habito, mortuos
lib. Kad hakkémach ait ab-
impios resurrecturos, sed
tra Talmud & huic & sibi
Judæorum resurgentium
m, qui damnantur. 3. Me-
rium salvantur, lib. Rosch
Judæos nihil certi habe-

aniel affirmat, quosdam,
ignominiam abjectum
sive Judæi. Si Judæi, fal-
cium resurrectionis, quia
mo, quia indigni, ideo re-
eantur, privati eo gaudio
rfrui conspicient. Si gen-
dæos impios resurrectio
b peccata sua puniantur,
crimen nuspiam divina
ninò verò absque discri-
qui in peccatis moriun-
v. 33. 2. Sam. 23. v. 6. Esa. 66.
peccavit, punietur. Pec-
& anima punietur. Cor-
uniatur & puniatur cum

Iterum delirium Pytha-
am, quod animæ subin-
de in